

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

Socer igitur meus, Doct. Musæus, Geræ destitutus præsidio, & minis cedere volens Thornensi Ecclesiæ, quæ est in finibus Prussiæ, operam addixit. Et nunc cum familia sese accingit itineri, fortassis igitur filium secum ducet Regiomontem. Pro communicato libro tuo gratias ago. Gratum est mihi & omnibus bonis, quod antiquitatis testimonia tanto labore conquisiveris. Haec non legi propter occupationes. Ubi perlegero, non occultabo sententiam meam, defunt autem à fine aliquot folia in exemplari, quod misisti. Quidquid restat à folio 22. duplici zetha notato, vel à pagina 184. postrem partis, in qua 13. argumentum Zwinglianorum tractatum, desideratur in meo exemplari. Mites igitur data occasione, ne liber sit mutilus.

Secunda Septembr. publice abjecit Jesuitarum errores & blasphemias Eduardus Thorneus Anglus, praesente Illustrissimo Principe Lauingæ

De illius conversione scriptum nunc est sub prælo. Constantinum hunc Cæsarem, discipulum tuum, tibi commendô. Et propter parentem, qui apud nos in ministerio servit, & quod sperem eum aliquando usui fore Ecclesiæ. Quæso promoveas ejus studia, & sis ei hortator ad diligentiam & pietatem. Rumor sparsus fuit apud nos, Davidem Chyträum diem suum obiisse, sed spero falsum esse. Scire velim, quis in vestra Academia locum obtinuerit, qui Davidi oblatus fuit. Salutem Domino Flinero, & Laurencio & aliis Collegis adscribo. Bene vale. Neuburgi, ult. Septembr. 1567.

Reverentia L.

addictiss.

Tilemannus Heshusius.

CXXXI.

Soleo tibi, vir reverende, aliisque viris bonis fratribus nostris esse morem, leitus commendationibus, quia & hoc me impellit charitas, qua negare postulantibus id officium non possum, & quia promptiorem me facit tua humanitas, quam nostri experiuntur & effuse prædicant. Facio vero vicissim ius tibi, quos velis cumque commendandi nobis, nec erit ingrata occasio, qua possim gratificari vestris. Qui has perfert, in Ministerio versatus est apud nos, quo tamen propter lapsum excidit ante triennium, à quo tempore, etiam exilium à Magistratu indictum sustinuit, & ut potuit alibi, sese sustentavit, & quamlibet conditiones quæsierit ecclesiasticas, non est firmam ullam assecutus. A Senatu nostro impetravit supplicando, ut aperiretur patria, ut tamen locus detur habitandi nondum est consecutus, Sua-

fi una

A. 1567.

PARS TERTIA.

255

Si una cum Collegis, ne Ecclesiae ministerium spectet aut querat, sed aliam ineat vitæ rationem, maxime quum scriptoriam artem teneat, quam etiam iistic exercuit, aut Scholasticam functionem, si non in urbibus obtineat, vel in pagis querat. Et paratum se ostendit ad obsequendum, ut liceat alicubi conquiescere, honestaque ratione sibi & uxori, quam habet honestissimam, viatum querere. Quare, vir reverende, vehementer te rogo, ut si quid habes consilii, juves, sublevesque afflictum, quem speramus officium facturum esse, miseret certè nos hominibus, nec tamen ulla nobis occasio, etiam in tota vicinia adparer, adeo sunt omnia loca occupata in quibuslibet angulis. Si quid sit, in quo requiras officium nostrum, senties amicos & fratres. Galliæ statum afflictissimum esse satis nosti. Lugduni ejecti sunt Evangelici omnes, præcipui in vincula conjecti, quorum gratia, (nam quidam ex iis cives nostri sunt) quum essent Legati missi à Rep. exclusi sunt. Astutè id egerant hostes, ut eam Arcem habeant Galliæ, & locum oportunum quo Pontificis Rom. exercitum excipiant, quem ajunt 10000. Italorum missurum esse in Regis subsidium, seu potius sui regni stabilimentum, his arbitror confederatorum nostrorum copias junctum iri, quos intelligimus 6000. peditum missuros, licet 4000. tantum postulata fuerint, & quod minoribus viribus nolint suos periculosa expeditioni committere. Nostri nullos dabunt, ut qui infondere cum Gallo-religionem excepérunt. Cædes nunc fiunt horrendum in modum utrinque, & tamen hæc malorum videntur esse proœmia tantum. Exulum ingens copia jam Genevæ est, & siquidem superiores evaserint Papistæ, major erit non illic tantum. Sed nec multum sperari boni potest, etiam si altera pars vicerit, quod plerique inconsulto zelo feruntur, non pauci sua tantum querant. Furit & Bavarus facibus Pontificis inflammatus, & profligat optimos quosque ex sua ditione. Sic exerit vires omnes Satanæ, contra quem par est ut pugnemus tandem constantius, quo violentius grastatur, idque armis spiritualibus verbo, fide, invocatione & vitæ novitate. Bene vale in Christo JESU, vir reverende & chariss. frater. Scripti Basileæ 25. Octobr. anno 1567.

Saluta meis & Collegarum meorum verbis Symmistas tuos amanter & reverenter.

H. totius

S. Sulcerus.

CXXXII.